Q. D. B. V.

DISSERTATIO JURIDICA DE DOTE FILIÆ LOCUPLETIS,

QUAM
IN
REGIA FRIDERICIANA
PRÆSIDE

CAR. GOTTLIEB KNORRIO
JURIUM DOCTORE EORUNDEMQUE PROF. PUBL. EXTRAORD.

Placido eruditorum examini submittit

JOANNES VICTOR BANDAU,
MICRO-OSCANIENSIS MAGDEBURGICUS.

D. DECEMB. cIɔ Iɔccxxiv.
H. L. Q. S.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Typis IOH. CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

263

VIRO
ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ATQVE GENEROSISSIMO
DOMINO
IO. CHRISTIANO A DURFELD,

S. REGIAE MAI. A CONSILIIS IVSTITIAE SANCTIORIBVS, REGIMINIS ATQVE SACRI TRIBVNALIS QVOD EST IN DVCATV MAGDEBVRGICO,
CETERA.
MENSARVM PROVINCIALIVM IN ACADEMIA FRIDERICIANA
DIRECTORI LONGE GRAVISSIMO,

DOMINO ET PATRONO SVO GRATIOSISSIMO
FELICITATEM!

VIR
ILLVSTRIS, EXCELLENTISSIME ATQVE GENEROSISSIME,

VEreor equidem, ne reprehenſionem incurram, DOMINE, quod has TIBI ſtudiorum primitias conſecrauerim, cum ingenio TVO atque NOMINIS magnitudine eas eſſe indignas ſatis cognitum habeam atque perſpectum. Sed veniam mihi promittit certiſſimam, mirifica tua benignitas, qua omnes,

qui

qui vacant litterarum ſtudiis, complecti ad maiora incitare ſoles. Accipe igitur eadem hac benevolentiæ atque fauoris ſignificatione, ILLVSTRIS DOMINE, tenue hoc opuſculum, deuoti animi mei documentum. Ego certe in ſecundis rebus meis numerabo, ſi TIBI, PATRONORVM MAXIME, meos probari conatus intelligam. Solent Viri, qui in publica ſtatione reipublicæ gerendæ ſunt conſtituti tot feſſi laboribus, ſæpius delectari muſarum otiis; & ego ſane noui neminem, qui maiorem quam TV, MÆCENAS, inter ipſos quoque concatenatos labores, quos REGIS TVI CLEMENTISSIMI iuſſu ſuſcipis, ex iis capiat delectationem. Imo nihil TIBI magis curæ cordique eſt, quam, vt non ſolum indefeſſo ſtudio Patriæ ſaluti, pro ſplendidiſſimi muneris ratione, cui TE admouit REX POTENTISSIMVS, invigiles; ſed etiam muſarum commoda, in quarum ſolatium natus videris, quam maxime promoueas. Haberem proinde omnino,

quare


... laudes, quas TIBI admetiuntur boni omnes, excurrerem; ſed prohibet id ſingularis TVA modeſtia, quæ inter egregias virtutes, quibus TE ornauit NVMEN prouidentiſſimum, conſpicitur maxima. Interim tamen DEVM O. M., a cuius ſapientiſſimo nutu dependent vniuerſa, ardentisſimis venerari precibus nunquam deſinam, ut TVAM incolumitatem inconcuſſam ſtare, TEque his rebus quam diutiſſime intereſſe iubeat! Vale & faue

ILLVSTRIS, EXCELLENTISSIMI
ATQVE GENEROSISSIMI
NOMINIS TUI

Cultori deuotisſimo,

Halæ Magdeb.
d. XIX. Decembr. 1724.

IO. VICTORI BANDAV.



DISSERTATIO IVRIDICA

DE

DOTE FILIAE LOCV-PLETIS.

CAP. I.

AN IVRE ROMANO SIT DOTANDA FILIA LOCVPLES?

§. I.



PRodunt antiquitatum monumenta, omnium fere gentium moribus institutisque fuisse receptum, ut filii soli manerent in domo patris, heredes nominis omniumque quæ is reliquisset bonorum. Filiæ vero si nupsissent, cum dote dimitterentur e domo paterna, hereditatisque essent expertes. Cum enim nihil magis curæ cordique fuerit civitatibus bene constitutis, quam ut veterum ciuium fa-

Apud plerasque gentes filiæ a paterna hereditate excludebantur, & dote contentæ esse debebant.

miliæ in suo splendore atque dignitate conseruarentur, facile est ad intelligendum, qua de causa factum, vt solos filios admitterent ad paternam hereditatem. Feminæ enim, cum nubendo plerumque in alienam transeant familiam, paternum nomen ulterius extendere atque propagare nequeunt. Quid quod, si simul cum masculis ad hereditates fuissent admissæ, opes paternas atque auitas in alienam transtulissent familiam, splendorque paterni nominis conseruari non potuisset. Quæ omnia cum docte executus fuerit IAC. PERIZONIVS in luculentissimo commentario ad *L. Voconiam p.* 108. *sqq.* ad eum L. B. remittimus. Non enim permittit instituti ratio, hic transscribere ea, quæ is adduxit veterum auctorum probatæ fidei testimonia. Nec etiam addimus quicquam de coemtionis ritu, quem apud antiquissimos populos in usu fuisse, ita, ut hac ratione quasi redimeretur sponsa a manu patris, egregie docuit post PERIZONIVM *l. c. p.* 115. sed uberiori longe adparatu ILL. GVNDLINGIVS *in Diss. de emtione uxoris dote & Morgengaba Cap.* 1. *&* 2.

§. II.

Sed apud Romanos, accepta dote, simul quoque cum filiis succedebant, donec lex Voconia earum successionem coerceret.

Soli fuere Romani qui his olim non vixerunt institutis. Licet enim filiabus constituerentur dotes, tamen ex XII. Tab. simul cum filiis æquis partibus & æqua lance ad patrum admittebantur hæreditates. Clarus in ea re est TRIBONIANVS §. 3. *Instit. de Legitim. Agnat. success. Lex. XII. Tab.* inquit, *simplicitatem legibus amicam complexa, simili modo omnes cognatos, sive masculos, sive* FEMINAS, *cuiuscuncque gradus, ad similitudinem suorum invicem ad successionem vocabat.* Sed progressu temporis magis reipublicæ expedire videbatur, ut feminæ accepta dote ab omni successione excluderentur, ne gentilitiæ opes simul cum iis e paternis familiis exirent, aut ipsæ, quas in manu virorum esse oportebat, supra modum ditescerent atque ex ea re insolenter se gererent, qua ratione

tione usum esse in suadenda lege Voconia M. Catonem auctor nobis est GELLIVS *N. A. lib. XVII cap.* 6. *vid.* PERIZONIVS *l. c. p.* 134. *sqq.* Illustris Fridericianae Cancellarius DN. A LVDEWIG *de different. in SCto Velleiano Differ.* 5. *n.* 42. cuius singularia in rempublicam litterariam merita nostris encomiis longe esse maiora non dissimulamus. Erat itaque dos futura omnis filiarum hereditas, postquam Q. VOCONIVS SAXA Tribunus pl. A. V. C. DCLXXXI. Mario Philippo II. & Cn. Servilio Coepione Coss. rogationem tulit, quae sanxit *in posterum qui post A. Postumium Q. Fuluium censores census esset, ne heredem virginem, neve mulierem faceret* CICERO *in Verr. I. c.* 41. Cum vero non nisi opulentiores censerentur, etiam saltem his scriptam fuisse hanc legem, facile est ad intelligendum. Interim tamen feminas fideicommissa & legata accipere potuisse testis est CICERO *de Fin. L.* II. *cap.* 17. sed summam, quae lege Voconia legati, vel fideicommissi nomine relinqui potuit a testatore non nominat, (*) forte quia ei non digna visa fuit pro opulentia illa publica privataque populi romani quam in sua oratione nominaret; forteque ea, sic arguente laudatissimo PERIZONIO *p.* 151. ideo a rigore legis ab ipso Voconio fuit excepta, ut possent testatores honesta aliqua amoris significatione honorare feminas coniunctas, neque necesse haberent earum nomina plane testamento praeterire.

§. III.

Disquiritur, quando & quare abolita fuerit lex Voconia?

Quo autem tempore abolita fuerit lex Voconia curate dispiciendum. Sed calculum non adiiciendum reor PERIZONIO, qui libera iam republica & adhuc ante Iulii Caesaris dictaturam id factum fuisse docuit, quia GEL-

(*) Sed ostendit PERIZONIVS *l. c. p.* 144. *sqq.* ex Dione, non plus quam XXV. millia drachmarum, vel C. M. sestertium mulieri per legem Voconiam relinqui potuisse.

LIVS *N. A. L. XX. C.* 1. scribit, eam opulentia civitatis obliteratam & opertam fuisse. Nam non satisfecit, meo quidem iudicio, DIONI *L. LVI.* qui clare testatur, adhuc Augusti ætate hanc legem viguisse. *Quumque enim*, inquit, *lege Voconia, mulieribus prohiberetur, ne qua maiorem centum millibus nummum hæreditatem possent adire, ea lege quoque quasdam solvit*, (Augustus.) Quodsi igitur hac lege quasdam solvit Augustus, eius ætate adhuc viguit, neque prorsus desuetudine fuit abolita. Id interim non nego, iam ante Augusti tempora eam legem sæpe fuisse neglectam, idque factum potissimum civitatis opulentia. Cum enim divitiis abundaret civitas romana, nimiumque proptera cresceret feminarum luxus, ita, ut locupletis sæpe domus censum auribus gererent, facile evenit, ut illam pecuniæ summam, quæ lege Voconia ad eas peruenire posset, spernerent atque pro nihilo haberent, indeque testatores varias excogitarent artes atque fraudes, ut vim eius eluderent. Erat scilicet ea lex non nisi opulentioribus, qui tantum censeri solebant, scripta v. §. 11. Hinc subterfugiebant cives ditiores censum, ut hac ratione, si filias facerent heredes, satis fecisse viderentur verbis legis. Clare id indicat CICERO *Verr. I. c. 42.* ubi, *P. Annius Asellus*, inquit, *mortuus est. Is cum haberet unicam* FILIAM, *neque* CENSVS *esset: quod eum natura hortabatur*, LEX NVLLA *prohibebat, fecit, ut* FILIAM *bonis suis hæredem* INSTITVERET. HAERES *erat* FILIA: *faciebant omnia cum pupilla*, LEGIS AEQVITAS (quia ea saltem agebat de censis) *voluntas patris*, EDICTA PRAETORVM, CONSVETVDO *iuris eius, quod erat tum cum Asellus est mortuus.* Addit deinde: *iure, legibus, auctoritate omnium, qui consulebantur, testamentum P. Annius fecerat, non improbum, non inofficiosum, non inhumanum.* Quid quæso clarius dicere potuisset orator? Aperte enim indicat, legem Voco-

Voconiam fere fuisse neglectam, idque factum, partim consuetudine, partim Prætorum edictis, partim prudentum auctoritate; quia ad eos, qui non essent censi, pertinere non videbatur lex Voconia.

§. IV.

Variis artibus vim legis elidebant patres. Alii patres alias excogitabant artes quibus vim Voconiæ legis eliderent. Cum enim per eam non nisi exiguam summam ad filias pervenire posse intelligerent, amicum instituerunt heredem, ejusque fidei commiserunt, ut filiabus restitueret hereditatem. Probat id ipse CICERO *de Fin. L. II. c. 17.* Sextilii exemplo, qui cum rogatus esset a Fadiæ patre, ut hereditatem restitueret filiæ, censuerunt Viri Amplissimi, non plus Fadiæ dandum, quam ad eam pervenire posset lege Voconia. Sed Plotius, eques romanus splendidus, eodem Cicerone teste, ultro ad mulierem venit eique, nihil opinanti, viri mandatum exposuit hereditatemque reddidit. *Qua de caussa eam denuo stabilivit Augustus.* Quum igitur Augustus animadverteret L. Voconiam fere negligi ejusque vires elidi variis testatorum fraudibus, procul dubio eam iterum revocavit atque denuo stabilivit. Quod, quamuis veterum auctorum testimoniis probari nequeat, tamen id mihi semper admodum verosimile visum fuit cum & de aliis legibus idem perhibeat SVETONIVS *in Aug. c. 34. Conf.* PERIZONIVS, *p.* 209. qui tamen in eo, mea quidem sententia, decipitur, quod ante Augustum iam prorsus fuerit abolita, hac enim ratione opus non fuisset, variis artibus vim ejus elidere v. § III.

§. V.

Reipubl. interest dotem constitui filiabus. Fuit igitur haec Legis Voconiæ ratio, ut hæreditas non perveniret ad feminas, sed hæc cum dote, quam acceperat, e domo patris dimitteretur, essetque ea futura omnis earum hæreditas. Unde factum, ut sæpius maiores dotes iis constituerentur HEINECCIVS

Antiq.

Dotis definitio, eiusque necessitas.

Antiq. rom. P. I. p. 426. §. 3. Est vero dos certa quædam res, vel universitas marito dotis nomine data, ut eo facilius onera matrimonii sustinere possit. Quamvis enim matrimonium sine dote possit consistere *L. fin. C. de donat. ante nuptias. Nov. 74. n. 4.*; tamen feminæ non facile sine ea erant locabiles adeoque reipublicæ intererat, ut dotes salvas haberent propter quas nubere possent. Vnde ille apud PLAVTVM: *habeo* FILIAM *grandem*, DOTE CASSAM, ILLOCABILEM. Et *Trin. Act. III. Scen. 3. v. 3.*

Namque Hercle HONESTE *fieri ferme non potest,*
Vt eam perpetiar ire in matrimonium
SINE DOTE, *cum eius rem penes me habeam domi.*

Imo sola fere dote a concubinis seiungebantur matronæ, vnde *idem Scen. 2. v. 63.*

Sed ut inops, infamis ne sim, ne mihi hanc famam differant,
Me germanam meam sororem in CONCVBINATVM *tibi*
Sic SINE DOTE *dedisse magis, quam in* MATRIMONIVM.

Quum itaque successione excluderentur filiæ, facile est ad intelligendum instar portionis hereditariæ fuisse dotem, indeque viris doctis verosimile visum, hanc potissimum ob causam filiam etiam locupletem fuisse dotandam V. PAGENSTECHER *sicilim. ad Lauterb. p. 98. Manip. 1.*

§. VI.

Filiam emancipatam non fuisse dotandam ostenditur.

Id quidem nemo unquam vocavit in dubium, paternum esse officium dotare filias iisque honestam nubendi occasionem quærere, adeo, ut etiam per Præsides provinciarum atque proconsules ad id ex constitutione SEVERI & ANTONINI adigi potuerint *L. 19. ff. de ritu nuptiarum.* Sed id saltem de eo casu accipiendum, si pater

pater filiam, vel avus neptem habeat in potestate. Quodsi enim vinculum potestatis solutum eaque sui iuris sit effecta, cessat dotandi necessitas, quia ea bona propria habet, ex quibus dos constitui potest. Id, ni fallor, clare indicat PAPINIANVS *L. 5. §. 12. de iure dotium, cum pater*, ait, CVRATOR *suae filiae*, IVRIS SVI EFFECTAE, DOTEM *pro ea constituisset, magis eum, quasi* PATREM *id, quam quasi* CVRATOREM, *fecisse videri.* Non igitur pater iure obligatur, ut dotem ex suis bonis constituat filiae emancipatae; sed saltem videtur in dubio pietatis officio ductus eam dedisse filiae. Quodsi autem clare exprimat, se de bonis filiae eam constituere nihil contra jus facit VINNIVS *Quaest. Select. lib. II. c.* 14. Potest proinde pater, licet filia e potestate exierit, ei vel de propriis bonis, vel de ipsius bonis filiae dotem dare. Accedit VLPIANI testimonium *c. L.* 5. §. 11. *si pater*, inquit, *pro* FILIA EMANCIPATA DOTEM *dederit, profectitiam nihilominus dotem esse nemini dubium est, quia non* IVS POTESTATIS, *sed* PARENTIS NOMEN *profectitiam facit, sed ita demum si ut parens dederit: ceterum si, cum deberet* FILIAE, *voluntate eius dedit, adventitia dos est.* Ergo non exigunt leges, ut necessario dotem de suo constituat emancipatae, sed expressis verbis distinguunt, an ut pater, an vero ut debitor filiae dotem dederit. Et *L. 51. eod.* idem VLPIANVS adserit, *si res emancipatae pater donavit, ex voluntate eius postea in dotem pro ea datae sunt:* A FILIA *dotem, non* A PATRE *videri datam?* Facile enim exinde patet, nullo iure patrem cogi, ut filiae emancipatae locupleti dotem de suo constituat. Sed *si is filiae nomine dotem promisisset, & eam ante nuptias emancipasset, non resolvitur promissio, nam & cum ante nuptias pater moreretur, nihilominus heredes eius ex promissione obligati manebunt L.* 44. *pr. eod.* Quid

B clarius,

clarius, quæso, dicere potuisset ICtus ? promisit pater dotem antequam emanciparet filiam, & ideo obligatur. Quid si itaque eam non promisit, etiam cogi nequit, ut eam constituat emancipatæ. Immo inanis prorsus ac risu digna fuisset quæstio: an dotis promissio emancipatione resolvatur ? si pater invitus cogi potuisset, ut ei constitueret dotem v. STRYCKII *jun. Diss. de dote non promissa præstanda* §. 22. LAVTERBACHII *Diss. de donatione propter nuptias th.* 75. PERTZ. *ad Cod. de dotis promissione n. 6.* WISSENBACH. *p.* 1. *disput.* 46. *th* 8. BACHOVIVS *ad* TREVTLERVM *Vol. 2. Disp. 7. th. 2. lit. d.* qui tamen officio magistratus adigi posse patrem, ut dotet filiam emancipatam tunc admittit, si egeat, nec sine ea honestam nubendi occasionem invenire possit VINNIVS *l. c p. m.* 355. Nec est prætermittendum PAGENSTECHERI argumentum *sicilim. ad Lauterb. Munip. I. p. 99.* Dos enim legitimæ portionis loco data fuit filiabus. Hinc cum emancipatione legitima successionis iura amitteret filia sui iuris facta, etiam dotis nomine nihil poterat exigere.

§. VII.

Notatur eorum error, qui credunt, ideo dotandas fuisse filias divites, quia L. Vocon: successionis erant expertes.

Postquam itaque dedimus demonstratum, filiam emancipatam, quæ ipsa habet unde dotari, vel alias honestam nubendi occasionem invenire possit, a patre invito non esse dotandam; ostendendum nunc curate, quid in transuersum egerit viros doctos, dum ideo filiæ locupleti dotem fuisse constituendam adserunt, quia dos ex ratione Legis Voconiæ omnis futura earum fuerit hereditas PAGENSTECHER *l. c. p. 98.* Quis vero adeo hospes in romana prudentia, qui nesciat, nullam olim fuisse peculiorum differentiam omniaque pleno iure acquisivisse liberos parentibus. Testis sane est omni exceptione maior DIONYSIVS HALICARNASSEVS *Ant. Rom. L. VIII. Romanis*, inquiens, *filiis nihil propris est vivis patribus, sed & pe-*

& pecunias & corpora liberorum patribus ad eorum arbitrium tradidit lex Romuli. Et SENECA *de beneficiis L. VII. c. 4. omnia,* ait, *patris sunt, quæ in manu liberorum sunt.* Nihil itaque erat liberorum, nisi iure peculii ex permissu patris. Sed factum progressu temporis, ut castrense & quasi castrense peculium pleno iure ad filios pertineret IVVENAL. *Satyr.* 16. *v.* 52. *pr. J. per quas personas cuique acquiritur L. fin. C. de inoff. Testam.* Quid vero hoc ad filias? Hæ adhuc nihil habebant proprii, sed omnia quæ quocuncq; titulo acquirebant, pleno jure erant patris. Ex his igitur facile est ad intelligendum, frustra quaeri: an filia locuples fuerit dotanda? De emancipata enim, quod iterato monemus, non est quæstio, quia ad hanc dotandam iure cogi nequit pater; sed de ea quæ adhuc sub potestate patris agit. Illa autem quæ est sub manu, nihil habet proprii quocuncque etiam titulo id acquisiuerit, ergo etiam locuples non est. Postquam vero Imperatores & filiabus peculia proprio jure concesserunt, evenit, ut nunc essent locupletes. Primus enim fuit CONSTANTINVS Magnus qui in bonis maternis liberis proprietatem, & patri tantum, quoad viveret, permisit usumfructum *l.* 1. *C. de bonis maternis*, quæ constitutio plenior exstat *in Cod. Theod. L.* 1. *eod.* deinceps GRATIANVS, VALENTINIANVS & THEODOSIVS idem statuerunt *de bonis materni generis l.* 6. *C. Th. eod.* id quod firmarunt HONORIVS & ARCADIVS *l.* 7. *C. Th. eod. l.* 2. *C. eod.* Quod tamen a THEODOSIO & VALENTINIANO, LEONE & ANTHIMIO *l.* 1. 4. *&* 5. *C. de bonis liber.* ad lucra nuptialia & sponsalitia porrectum fuit. Tandem IVSTINIANVS *l.* 6. *C. eod.* disposuit, ut si quid liberi aliunde sibi acquisiverint ex quacunque etiam causa, sive liberalitate fortunæ, sive laboribus suis, ejus usumfructum haberet pater, sed proprietas esset penes liberos. Sunt tamen plures ca-

ſus i quibus nec in adventitiis patri acquiri uſumfructum voluit *L. 7. 8. & Auth.* excipitur *C. de bonis quæ liber. vid.* V. C. GERHARD NOODT *de uſufructu L. 2. C. 4. p. m. 608. 609.* SCIPIO GENTILIS *de bonis maternis. C IV. ſeq.*

§. VIII.

Inventa peculiorum differentia primum quæri potuit; an dotanda ſit filia locuples?

Ex hoc primum tempore potuit moveri quæſtio: an dotanda ſit filiafamilias locuples? Quodſi itaque quis mente præcipiti affirmare audeat, adhuc eam dotandam fuiſſe, quia femina L. Voconia heres eſſe non poterat, næ! is vehementer errat. Jam enim probavimus clare §. III. & IV. poſt tempora AVGVSTI eam abolitam ſenſimque feminas ſimul cum maſculis ad paternas admiſſas fuiſſe hereditates. Quodſi igitur filiæ paternæ hereditatis non fuerunt expertes, etiam dos non fuit inſtar portionis hereditariæ. Finge nunc, filiam eſſe locupletem, finge, eam vel fortunæ liberalitate, vel labore ſuo ſibimet acquiſiuiſſe peculium. Quid nunc ſtatuendum? Exigitne officium patris, ut eam dotet de ſuo? Videamus quid ſentiant quibusque utantur argumentis non infimi ceteroquin ſubſellii J ti, dum adhuc patris eſſe, conſtituere filiæ dotem, probare allaborant. Sunt in hoc numero BALDVS *in L. ult. C. de dot. pr. miſſ & de Dote p. 6. privil. 16. n. 8* IASON *in §. fuerat n. 98. ſequent. J. de Action l. 1. ff. ſolut. matrim.* GAILIVS *L. 2. obſ. 95. n. 14. ſeqq.* SICHARDVS *in l. ult. C. de Dot. promiſſ.* PALAEOT. *de not. & ſpur. C. 49. ſeqq* BRONCH. *3. adſ rt. 14.* IOAH. a BEVST *de iure connubiorum & dotium L. 3. C. 4.* PERETZ *de dote Prom. num. 8.* PAGENSTECHER *l. c.* SCIPIO GENTILIS *de bon. matern. c. XXVII. p. 197.* VVLTEI. *Conſil. Marpurg. V. 2. Conſ. 49. n. 4.* ZOESIVS *de jure dot. n. 8.* Hos autem minus recte inire rationes comprehenſu non eſt difficile. Urgent enim 1) quod favorabilior ſit cauſa dotis, quam alimentorum eo quod pater alere

Removetur prima obie-

non

non teneatur filiam locupletem, bene autem dotare, cum dos comparetur legitimæ, quæ locupleti etiam debetur filiæ, adeoque non procedat argumentum a negatione alimentorum ad negationem dotis. At vero cum unanimi ore confiteantur pragmatici, filiam divitem a patre alendam non esse per *L. 5. §. 7. ff. de agnosc liber.* & deinde ad dotandum non jure actionis, sed officio judicis eum compelli posse GAILIUS *l. c. n. 1 seqq.* CARPZ. *P. 2. c. 42. def. 12.*; illa sane æquitas, cui judicis officium, ut scilicet habeat unde sustinere possit matrimonii onera, cessat, si ipsa filia sit locuples atque dotem sibi constituere queat, cessat & illa ratio cogendi patrem, ut filia honestam nubendi conditionem inveniat *l. 19. de R. N.* Ex quo nunc constit, utique procedere argumentum a negatione alimentorum ad negationem dotis, quia par utroque casu adest ratio BACHOV. *ad* TREUTL. *Vol. 2. Diss. 7. th. 2. litt.* C. Quid quod maior adhuc alimentorum quam dotis sit necessitas, quod exinde probat WISSENBACHIUS *P. 1. Disp. 46. th. 8.* quia libertus patroni liberos alere teneatur *l. 5 §. 20 de agnosc. & alend. liber.* non autem dotare, sic filius matrem alere jubetur, non autem dotare *l. 13. §. fin. de adminstr. & peric. tutor.* Imo frater sororem uterinam suis sumtibus exhibere tenetur *l. 4 ubi pupill. educ.* in matrimonium vero collocare non urgetur *l. 12. §. pen. l. 13. §. fin. eod. l. 1. §. 2. de tutor. & rat. distr.*

Hic a favore dotis desumta.

Maior adhuc dotis quam alimentorum necessitas.

§. IX.

Nec 2) firmiori talo illud nititur argumentum, quod dos succedat in locum legitimæ. Nam hæc primum debetur liberis post mortem patris, dos autem a patre vivo constituitur filiabus, ut conditionem nubendi invenire & onera matrimonii sustinere possint. Ubi itaque hæc ratio exulat, nemo non intelligit, simul exulare dotandi necessitatem CARPZOV *l. c. defin. 13.* NICOL.

Respondetur ad secundam objectionem a comparatione dotis cum legitima desumtam.

EVER-

EVERHARDVS *in loc. leg. loco* 28. DVARENVS *in Tit. soluto matrim.* C. 3. TVLDEN *in Cod. de dotis promiss. n.* 7. Unde etiam CONANVS *Comment. L. VIII.* C. 8. *n.* 7. satisfecisse putat patrem officio, si sine dote honestam nubendi occasionem invenire possit filiæ. Quae sententia, si justa expendatur trutina legibus & rationi convenit. Solent quidem 3) interpretes vulgares provocare ad *leg.* 29. C. *de inoff. Testam.* Sed nihil est in ista lege de filia locuplete dotanda, quia saltem disponit Imperator ZENO, dotem ad excludendam inofficiosi querelam in legitimam esse imputandam. Non vero sequitur, dos legitimæ imputatur (*) ergo par legitimæ & dotis est ratio.

§. X.

Non ex L. Julia cogitur pater ad dotandam filiam.

Sunt & 4) alii qui legem Juliam in *l.* 19. *de R. N.* non distinguere autumant, an filia sit locuples, nec ne, indeque magna clamant voce: lege non distinguente nec nostrum est distinguere WISSENBACH. *P.* 1. *disp.* 46. *th.* 8. Sed vehementer decipiuntur. Quaenam enim sit illa lex Julia ipsimet ignorant interpretes. Est propterea admodum mihi opinabile, recte subducere rationes v. c. CORNELIVM *von* BYNCKERSHOEK *L. IV. obs.* C. 13. quando nihil cautum hac de re fuisse in L. Julia, sive de adulteriis, sive de maritandis ordinibus existimat, quia rigor

(*) Quod tamen olim secus. Ex constitutione enim ALEXANDRI *l.* 1. & 2. *C. Gregor. de inoff. Testam.* id quod pro filia in dotem datum est aut promissum in Falcidiam h. e. legitimam imputari non poterat. Quia ea vivo patre a bonis ejus separata fuit, legitima autem est computanda a tempore mortis *l.* 6. *C. eod.* v. SCHVLTING *in Jurispr. ante Justin. p.* 680.

rigor patriæ poteſtatis, qui eo tempore adhuc durabat, id non admittebat. Marcianus igitur in L. XVI. *Inſtit.* interpretatus eſt C. XXXV. legis cujusdam Juliæ, & hac occaſione retulit conſtitutionem Severi & Antonini, quam compilatores inſeruerunt Pandectis præſcripto *L. XVI. Inſt.* adjectoque capite, ubi ejus mentionem fecerat JCtus. Nec hic conjectura opus, cum verbis expreſſis dicat, ex Conſtitutione Severi & Antonini, ergo non ex Lege Julia, cogendum eſſe patrem, ut conditionem quærat filiæ. Nam hoc tempore jam patriæ poteſtatis rigor paulatim fuit mitigatus.

§. XI.

Reſpondetur B. Strykii argumentis.

Quæ cum ita ſint, mirari ſubit B. STRYCKIUM *in Caut. Contr. L.* III. *C. 8. §. 13. & V. M. de jure dotium §. 2.* in adverſariorum militare caſtris. Cujus propterea argumenta hic ſub incudem vocare operæ erit pretium. Exiſtimat enim, ideo filiæ locupleti a patre dotem eſſe conſtituendam, ut optimam nubendi invenire queat conditionem. Sed quis, quæſo, non facili negotio animaduertit, ceſſare patris officium, ſi filia ob propria bona honeſtam matrimonii conditionem invenire poſſit.

Refellitur Mynſingerus.

Idem interim quod STRYCKIUS ſentit MYNSINGERUS *Cent.* VI. *obſ. 8ſ.* utiturque hoc argumento: qui ex duplici cauſſa obligatur, præſumitur ſe primo ab eo quod debet ex cauſſa duriori liberare voluiſſe *l. 4. de Sol. lut.* Sic itaque cum pater eſt debitor duobus nominibus, primo ex officio paterno, quod ei impoſuit neceſſitatem dotandi filiam, deinde eſt debitor filiæ, quia tanquam pater ejus res tenet, durius autem obligatur ex ſuo officio, quia illud eſt ex lege indeque in dubio a legali obligatione ſe liberare voluiſſe præſumitur *l. fin. de a te promiſſ.* Sed cui mens adeo læva, pectusque adeo obtuſum, qui non labi MYNSINGERUM intelligat. Patris utique eſt officium

cium constituere dotem filiabus, sed quando? & quare? Si ipsa habeat nihil, & dein si alias honestam nubendi occasionem inuenire nequeat. Ubi itaque ratio dotandi, cui innititur patris officium, cessat, ibi etiam illud desinit.

§. XII.

Removetur objectio ex L. fin. C. de dot. promiss. petita.

Pergimus 5) ad *L. fin. C. de dotis promiss.* ad quam cum B. STRYCKIO ad unum fere omnes, qui filiam divitem dotandam esse a patre falso sibi persuadent, confugiunt. Rescribit ibi Justinianus: *Neque enim leges incognitæ sunt, quibus cautum, omnino paternum esse officium dotem dare pro sua progenie.* Sed ex his verbis nondum elucet, quæ fuerit mens imperatoris, qua de causa ostendendum curate, nihil esse in hac lege, quod nobis adversetur. Agit videlicet imperator de patre habente usumfructum in bonis adventitiis liberorum. Quodsi igitur hic dotem dederit filiæ, non expresso de cujus patrimonio, censetur dedisse eam de suo ipsius patrimonio. Sed si dixerit, se dotem dare de suo & filiæ patrimonio, tunc si est inops, censetur dedisse eam de filiæ patrimonio: sin vero locuples censetur eam summam, quam expressit, dedisse de suo ipsius patrimonio, & tantumdem tacite voluisse ex bonis adventitiis accedere filiæ, in quibus habet usumfructum, quem eatenus tacite remisisse intelligitur. His fere verbis summam legis refert ex BALDO VINNIVS *l. c. p. m. 358.* Diversa enim omnino est quæstio: an pater cogatur promittere & dare dotem filiæ locupleti, & si eam ultro promiserit ex quibus bonis hoc fecisse videatur? Quid itaque si expresse dicat: se dotem dare de bonis filiæ quæ bona propria pleno iure habet, hoc est quorum ususfructus non pertinet ad patrem? Hic quidem casus in dicta lege non deciditur, sed debet decidi ex iis quæ §. VI. disseruimus. Nam dum pater, simpli-

ſimpliciter dotem dedit, eam de ſuis bonis ex liberalitate & donandi animo dediſſe intelligitur *l* 5. §. 2. *de Jure Dot.* Neque eum, licet adſerat contrarium, eſſe audiendum jubet legislator, quia cum clarius loqui debuiſſet, ſibi imputare debet, quod id non fecerit VINNIVS *l.c.* BACHOV. *l.c. litt. e.* HVBERVS *de Jur. Dot. n.* 4. CARPZ. *p.* 2. *Conſt.* 42. *defin.* 13. CARDIN. MANTICA *de tacitis & ambiguis convent. L. XII. T.* 19. *n.* 1. *ſeqq.*

§. XIII.

Quamvis vero CARD. MANTICA *l. c. n.* 13. eorum ſubſcribere videatur ſententiæ, qui filiam locupletem dotandam eſſe contendunt, tamen poſtea eas ſubiicit limitationes, ut tandem *n.* 29. nobiscum ſentiat. *Pater*, inquit, *præſumitur filiæ dotem dediſſe vel promiſiſſe de ſuis bonis, quando* NOMINE PROPRIO *eam dedit vel promiſit, vel etiam* SIMPLICITER *ut loquitur* d. l. Ult. de dot. prom. *Diverſum eſt, ſi dederit vel promiſerit* NOMINE FILIAE, *ita, ut voluerit ejus negotium gerere: tunc enim præſumitur magis dotem dediſſe de bonis ipſius filiæ.* Sed in eo vehementer errat MANTICA, quando adſerit, præſumi patrem de ſuo conſtituiſſe dotem, ſi id expreſſe dixerit, de bonis autem filiæ, ſi id clare indicaverit. Quodſi enim ſatis conſtat de ejus voluntate, nulla præſumtione opus. *Examinantur ea quæ habet CARD. MANTICA.*

§. XIV.

Eſt vero hæc præſumtio quæ militat contra patrem ex Dd. ſententia juris & de jure, quæ contrarii probationem non admittit MENOCH. *L. III. præſ.* 15. *n* 5. Sed quam inepte id, quod contrarii probationem non admittit, dicatur præſumtio egregie docuit ILL. THOMAS. *in Diſſ. de præſumt. allodial.* §. 15. *ſeqq.* Quamprimum enim is non auditur, qui ut admittatur ad contrarii probationem urget, ſtatim evaneſcit præſumtionis idea & *Præſumtionem, quæ militat contra patrem, inepte præſumtionem juris & de jure eſſe dicunt. Dd.*

adest aliquid a præsumtione plane diversum. MENOCHIVS igitur hic talpa cæcior Glossatorum in statura grandiori exscripsit volumina, & ita omnia commiscuit, ut tandem quid velit ipse nesciat. Quod quam verum sit ex eo nemo non intelligit, quod quidem eam, de qua nobis est sermo, præsumtionis juris & de jure insigniverit nomine, & tamen *consil.* 370. *n.* 11. adferat, admittendam esse contrarii probationem BRVNN. *ad L. fin. C. de dotis promiss.* Pertinet itaque potius dispositio dictæ *L. fin.* ad sanctiones pœnales, quæ non audiendum esse patrem volunt, si ad probationem contrarii semet adcingat idque in pœnam, quia clarius loqui atque verbis indicare debuisset expressis, se dotem filiæ locupleti non de suis, sed de ipsius filiæ constituere bonis. Ita clara sunt omnia, nec opus, ut evolvas Menochium, cujus miseram diligentiam, meliora edocti, ridemus. *Conf.* ILL. THOMAS. *ad Lancell. p.* 582. *n.* 568. ILL. BÖHM. *in Diss. de collisione Præsumt.* C. 3. *& in Jure Ecclesiast. Protest. L. II. T.* 22. §. *9.* 10.

§. XV.

Quæritur: an semper & simpliciter filia locuples ex bonis propriis possit dotari?

Restat, ut perpendamus cum cura, an semper & simpliciter pater dotare possit filiam de iis bonis quæ ea proprio jure habet, sive ipsi ususfructus competat, sive non. Distinguendum hic esse docet BACHOVIVS *l. c. th.* 2. *litt. c.* an filia bona quædam habeat pleno jure eoque casu patrem ad dotandum teneri negat, an tantum proprietatem nudam eorum, & hic ex causa statuendum, ut si forte ususfructus sit amplus & alias pater in re lauta, ipse de suo dotem constituat; cum & ei hoc casu alimenta de suo præstare teneatur *l. fin.* §. *5. & vers. cum enim* C. *de bonis quæ liber.* Nisi forte velit pater potius remisso usufructu plenum eorum jus ex causa dotis transferre. BACHOVIVM sequitur VINNIVS *l. c. p. m.* 359.

Est

Est enim tralatitium, confarreationis & coemtionis ritu solutum fuisse patriæ potestatis vinculum, quia eas in manu maritorum esse dixit GELLIVS *L. IV.* C. 3. *L.* XIIX. *c.* 6. In duorum vero potestate & duobus filiafamilias esse nequit SCHVLTING *Jurisprud. Ante-Justin. p.* 590. *n.* 2. NOODT *L.* II. *Prob. Jur. c.* 9. Vt itaque mirari subeat, esse nonnullos qui secus sentiant, quos solide confutavit v. c. HEINECCIVS *in Syntagm. Antiq. Rom. P.* 1. *p. m.* 135. §. 6. *seqq.* Sed quemadmodum non semper conveniebant in manum mariti, ita factum demum, ut confarreationis & coemtionis ritus plane abiret in desuetudinem. Cujus caussam reddit SCHVLTINGIVS, quia videntur mulieres, postquam auctæ sunt opes & emolliti mores, non ita amplius voluisse se se & sua omnia maritis subiicere, sed simpliciter nuptias contrahere, sive in matrimonium convenire, quomodo id exprimit GELLIVS *L.* XIIX. *c.* 6. & addit, matronam dictam proprie quæ in matrimonium cum viro convenisset, quam distinguit ab ea, quæ erat in manu mancipioque. Qua etiam motus ratione laudatus SCHVLTINGIVS non subscribit CVIACIO qui in *l.* 15. *de R. N.* & *L.* 121. §. 1. *de V. O.* malam Triboniani manum agnoscit putatque, Papinianum scripsisse, in manum convenire.

Filia per confarreationem & coemtionem exibat e manu patris.

Indicatur caussa cur confarreationis & coemtionis ritus in desuetudinem abierit.

§. XVI.

Ex his igitur facile cognoscimus, non omnes olim uxores fuisse in manu mancipioque maritorum. Vnde CICERO in *Topic.* C. III. distinguit inter eas quæ in manum convenerant & quæ tantum uxores erant. Vanescente itaque confarreationis atque coemtionis ritu, manebant filiæ in patris potestate, etsi contraherent matrimonium, ut bene ILL. GVNDLINGIVS *in Digestis de Adopt. & emancipat. p.* 90. §. 16. Et ita accipienda *l.* 1. §. *fin. ff. de liber. exhib.* ubi *si qui filiam suam,* inquit VLPIANVS,

Vanescente hoc ritu filia manebat, etsi nuberet, in P. P.

quae mihi nupta est, velit abducere, vel exhiberi sibi desideret: an adversus edictum exceptio danda sit, si forte pater concordans matrimonium, forte & liberis subnixum, velit dissolvere? Et certo iure utimur, ne bene concordantia matrimonia IVRE PATRIAE POTESTATIS *turbentur: quod tamen sic erit adhibendum, ut patri persuadeatur, ne* ACERBE PATRIAM POTESTATEM *exerceat.* Quam Legem belle explicat v. c. NODT *de Vsufructu* L. 1 C 8. *p. m.* 557. Quodsi itaque filia haberet bona propria, quorum usufructus pertinebat ad patrem, in cuius erat potestate, non est amplius comprehensu difficile, quare paternum sit officium filiae constituere dotem vel ex propriis bonis, vel remittere adventitiorum usumfructum & illa pleno iure transferre dotis nomine in filiam. Summatim: Quaestio: an dotanda filia locuples? eo tempore, quo vigebat lex Voconia, erat otiosa, quia filiafamilias nihil habebat proprii adeoque etiam locuples non erat (v. §. VI.) emancipata vero si propria habebat bona sibi ipsi poterat constituere dotem, sin secus, officio iudicis ei succurrendum fuisse videtur (v. §. VI.) sed adinventa peculiorum differentia vel pleno iure ea pertinent ad filiam, & tunc pater ex illis eam dotare potest (v. §. VII.) vel patri eorum competit usufructus, & tunc vel ex propriis bonis dare dotem, vel usumfructum, quem habet iure patriae potestatis, cum filiam nuptam retineat in potestate, remittere debet (v. §. XVI.)

CAP.

CAP. II.

AN JURE GERM. FILIA LOCUPLES DOTANDA?

§. I.

GErmanorum legibus filias olim ordinarie cum masculis ad successionem bonorum, inprimis immobilium, non fuisse admissas, nemo est qui ignorat. Erant enim bona gentilitia familiæ conservandæ gratia data atque destinata nobilibus. Sed filiæ nubendo in aliam transeunt familiam, suntque soli mares familiarum sustentacula. Cautum igitur legibus ANGLORUM & WERINORUM L. 1. Tit. 6 *hereditatem defuncti filius, non* FILIA *suscipiat: si filium non habebit qui defunctus est, ad* FILIAM PECUNIA & MANCIPIA, *terra vero ad proximum paternæ generationis consanguineum pertineat.* Et lege familiæ, quam BUCHARDUS WORMATIENSIS scripsit apud FRANCISCUM PITHOEUM *in Glossar. ad libros Capitular. edit Baluzianæ p.* 703. dispositum: *si ex familia vir aliquis & uxor obierint & filium cum* FILIA *reliquerint, filius hereditatem servilis terræ recipiat,* FILIA *autem* VESTIMENTA MATRIS & PECUNIAM OPERATAM *recipiat.* Deinde in legibus salicis *Tit* LXII. §. 6. statutum: *de terra vero salica in* MULIEREM *nulla portio hereditatis transit, sed hoc virilis sexus acquirit, hoc est filii in ipsa hereditate succedunt.* Sed filias deficientibus masculis etiam ad hereditatem tandem terræ salicæ fuisse admissas, lex RIPUARIORUM clarissime his indicat verbis: *sed dum virilis sexus extiterit,* FEMINA *in hereditatem aviaticam non succedat.* Sexu itaque virili deficiente regula

J. G. olim filia ad successionem in immobilibus non admittebatur

gula erat sublata, quod egregie observat CL. ECCARDVS *ad LL. salic. l. c. p. 707. 708.* SCHILTERVS *ad jus feud. Alem. C. LXIV. §. 7. p. 330. & Exercit. ad ff.* XLI. *th. 59. seqq.* ILL. GVNDL. *in Diss. de statu reipubl. Germ. sub Conrado I. §. 7. p. 54. litt. e.* Imo deinde eandem legem displicuisse Francis, excepta regni successione, docuit CVIACIVS *L.* VIII. *Obs. c. 14.* De SAXONIBVS itidem res certa est quod ex *L. 1. art.* 17. discimus: Vaters, und Mutters, Schwester oder Bruders Erbe nimmet der Sohn und nicht die Tochter. Es sey dann daß da kein Sohn sey, so nimmet es die Tochter. Quae speciminis loco adduximus ad ostendendum quae fuerit olim juris succedendi ratio. Plura habet B. STRYCKIVS *de S. A. J. Diss.* IIX. *c. 11. §. 14. seqq.*

§. II.

Quaeritur: an igitur dos fuerit instar portionis hereditariae? idque negatur.

Licet vero filia olim non aequis partibus cum filiis ad paternam admitteretur hereditatem, tamen non prorsus eam maternae successionis fuisse expertem abunde probavimus. Quodsi igitur nonnemo filiae a patre constituendam fuisse dotem mente praecipiti adfirmaret, licet ipsa bona haberet adventitia, quia dos instar portionis hereditariae fuerit, is vehementer erraret. Memorat enim TACITVS *de M. G. c. 18.* *dotem non* VXOR MARITO, *sed* VXORI MARITVS *adfert. Intersunt parentes & propinqui ac munera probant: munera non ad delicias muliebres quaesita, nec quibus nova nupta comatur, sed boves & frenatum equum, & scutum cum framea gladioque. In haec munera uxor accipitur atque invicem ipsa* ARMORVM *aliquid* VIRO ADFERT. Ex quo simul consit, etiam feminam marito aliquid attulisse. Factum inde, ut cum ditiores esse coepissent Germani, ex parentum, vel sua substantia etiam aliquid adportaverint marito. Quidquod jam CAESARIS aetate viros dotem accepisse ab uxoribus

ribus memoriæ is prodit de *B. G. L. VI. c.* 19. Enimvero postquam Latii scita irrepserunt in Germaniam, hæc quoque, quæ e domo paterna marito intulit uxor, dotis nomine venire cœperunt, ILL. GVNDLING. *de Emt. uxor. dote & Morgengaba* C. II. § 11. *seqq.*

§. III.

Vxor legitima habebat dotem in eoque differebat a concubina.

Ex quo itaque tempore dos constitui cœpit in Germania filiabus, in eo potissimum differebat uxor legitima a concubina, quod illa dotem, hæc vero nullam haberet, pari ratione uti apud Rom. v. C. I. §. V. Interim tamen J. G. cum concubina iniri poterat matrimonium, licet non legitimum, hoc est, indotatum. Vnde nec liberi ex regula admittebantur ad successionem. Quæ omnia doctissime explicat ILL. BÖHMERVS *in Jure Eccles. Protest. L.* III. *tit.* 2. §. 15. *seqq.* Vxor igitur quacum legitimum intercedebat matrimonium etiam dotem adferebat marito. Qua de caussa nunc quæritur: Fueritne dotanda a patre filia, quæ bona habebat adventitia? Est vero mihi admodum opinabile, eorum populorum institutis, quæ filias ab hereditate paterna, existentibus filiis, excludebant, locupletem etiam filiam fuisse dotandam, ex quo scilicet tempore Romanorum scita Germanis placuerunt, quæ volunt, ut pater dotet filiam. Licet igitur habeat adventitia, indeque honestam nubendi invenire possit conditionem, tamen aliquid instar portionis hereditariæ nuptiarum die, dotis nomine marito a patre sponsæ datum fuisse facile mihi persuadeo. Est enim dispositum in lege LONGOBARDICA *L.* II. *Tit.* 1. *leg.* 4. *Habeat ipsa mulier Morgengab, & quod de* PARENTIBVS *ejus adduxerit, id est,* PHADERFIVM *& Tit. XIV. lege* 15. *Vidua habeat sibi Morgengab & Methium : de* PHADERFIO *autem, id est, de* ALIO DONO, *quantum* PATER, *aut* FRATER *dederit ei, quando ad* MARITVM AMBVLAVERIT, *mittat in*

Vnde quæritur: an a patre dotanda filia locuples?

confu-

confusum cum aliis sororibus. Idem patet ex ALEMANNORVM decretis *C. LV. si quis liber mortuus fuerit, & reliquit uxorem sine filiis aut filiabus, & de illa hereditate exire voluerit, & nubere alii sibi c æquali, sequatur eam dos legitima & quidquid* PARENTES EIVS *legitime* PLACITAVERINT, *& quidquid de* SEDE PATERNA *secum adtulit, omnia in potestate auferendi, quodcuncque non manducavit, aut non vendidit.* Clare ex his, ni fallor, patet, apportasse aliquid uxorem, quod e manu parentum acceperat idque dictum Faderfium, a voce Fader, Vater & Erfe, Erbe, Erve & denotasse Vater Erbe, quod propterea succedebat in locum portionis hereditariæ, a qua Teutonum moribus fere excludebantur feminæ. Sed his vanescentibus, etiam simul evanuit necessitas dotandi filiam locupletem.

§. IV.

J. G. filia nubendo liberatur. a P.P.

Interim tamen in eo est dispar ratio, quod filia nubendo non exierit J. R. e patris potestate, ex quo scilicet confarreationis & coemtionis ritus in desuetudinem abiit v. C. I. §. XVI. Sed J. G. eo ipso, dum filia nubit ab ea liberatur v. ILL. BÖHMERI *Diss. de statu liberorum sui juris factorum per separationem vel nuptias. c. 2. &* ILL. THOM. *de V. P. Tit. J. de patria potestate* STRYCKIVS *Jun. dissert. de dote prom. non præstanda* §. 21. Notatu digna sunt quæ hanc in rem attulit de ANGLORVM moribus C'OWELLES *in Instit. Jur. Anglic. L. 1. tit. 9. §. 2. & 3. Intelligendum est veterem illam potestatem quam Romani in suos liberos habuerunt, multo apud nos* (sc. Anglos, quod vero de his dicitur, id uniuersim de Germanis est dicendum, recte sic auguente ILL. THOMAS. *de Quasi Emancip. Germ.* §. 12.) *esse remissiorem. Nam Angli per solam liberorum suorum, qui adhuc minores 21. annis sunt industriam sibi adquirunt: idque ea conditione, si apud se retineant,*

tineant, & in suis negotiis exerceant & victum vestitumque illis suppeditent. Nam si aliis tradantur in aliqua arte instituendi, heros suis laboribus reddunt locupletiores, nisi tamen aliter conventum fuerit, quia conventio legem vincit. Quodcunque PECVLIVM *sive* ADVENTITIVM *sive* PROFECTITIVM, *vae dum castrensi liberis contingit, ejus nec* VSVMFRVCTVM *quidem pater adsequitur, sed* RATIONI REDDENDAE *obnoxius manet*: Et *Tit.* 12. §. 4. *Tam arctus apud nos non est P. P. nexus, quam apud Rom. fuit: sic neque est tam* SOLENNIS *ejusdem per emancipationem* SOLVTIO. *Nam nihil inter nos reperio, quod prohibet filium vel* FILIAM, *cum annum vigesimum primum impleverit, vel* INVITO PATRE *esse* SVI IVRIS. Ne vero gratis dixisse videamur, idem quod de Anglis adserit COWELLES Germanorum convenire moribus, operæ erit pretium ALEMANNORVM SAXONVMQVE adducere decreta. Ita enim in *Spec. Sax. l.* 1. *Art.* 11. Hat ein Vater seine Kinder in Vormundschafft nach ihrer Mutter Tode, wenn sie sich darnach von ihm scheiden, er soll ihnen lassen und geben alles ihr Mutter-Gut: es sey ihm den von Unglück, und ohne seine Schuld, abgegangen. Licet autem liberi e parentum potestate fuerint dimissi, tamen, antiquis moribus sublatis, si ea quæ ab iis acceperunt postea conferunt, illis salva manent successionis jura. Clare id indicat *art.* 13. *Spec. Sax. L.* 1 his verbis: Sundert der Vater und die Mutter einen ihrer Söhne und Töchter von ihm mit ihrem Gut; sie sondern sich mit der Kost oder nicht, wollen sie nach des Vaters oder Mutter Tode, ihr Erbtheil wieder ansprechen, der Bruder gegen den Bruder, oder die benante Tochter gegen der ausgestatteten Schwester, sie müssen in die Theilung wieder einbringen, mit ihrem Eyd alles das Gut, da sie mit abgesundert waren, ob es fahrende Habe ist, sonder Gerade. Ist es aber ander Gut, das man beweisen mag, da mögen sie nicht für schweren.

ren. Hetten sie auch ihre Erbtheilung davon verlobt, der sollen sie entbehren, sie wieder reden es denn auff den Heyligen &c. *& art.* 19. *L.* 2. der Vater mag den Sohn woh von ihm sondern mit etwas seines Gutes vor Gericht, das der Sohn annehmen will, wie wenig es sey.

§. V.

Vlterius ostenditur, per Nuptias solui P. P. vinculum.

Ex his itaque discimus J. G. liberos invitis parentibus separata bona habere sibique viuere potuisse. Probat id Spec. Suev. *c.* 382. his verbis: der Vater soll seinen Sohn von ihm sondern so er fünf und zwantzig Jahr alt ist, mit als viel Gutes als er geleisten mag, also daß ihm das mehrer Theil bleibe. Und thut er das nicht gern, der Sohn nöhtiget ihn des mit recht wohl vor seinen Richter. V. ILL. THOMASIVS *de quasi Emanc. Germ.* §. 23. 24. Cum igitur filia nubit soluitur patriæ potestatis vinculum, quod Romanorum legibus plane aduersum. v. ILL. BÖHMERI *Diss. de statu liber. sui Jur. factor. per separ. vel nuptias C. II.* §. 9. qui simul inficetis eorum satisfecit objectionibus, qui Saxonum quidem institutis filiam nubendo exire e patris potestate credunt, sed longe aliud esse dicendum de iis prouinciis, ubi Juris Saxonici nulla auctoritas. Est enim ostensum clare, non Saxonum solum, sed omnium Germanorum moribus id obtinuisse. Quin vero pro patriis legibus tamdiu sit præsumendum, donec dederint demonstratum, quod eas migraverint Teutones, & peregrina iura receperint, nemo, nisi quandam mentis diminutionem sit passus, vocabit in dubium. Nec ea quæ emancipationum adducunt exempla euincunt, usu esse recepta Romanorum placita. Vsus enim ponit frequentiam. Quis autem una forte hirundine volitante statim vernum adesse tempus assereret?

§. VI.

Vnde fluit ei etiam re-

Habemus igitur pro certo, eo ipso dum filia nuptias celebrat exire eamdem e potestate parentum eique resti-

restituenda esse bona aduentitia uniuersa. Ex quo nunc facile est ad concludendum, quodsi filia ipsa sit locuples, patrem nullo modo cogi posse, ut eam de suis dotet bonis. Nam eo ipso dum nubit soluitur patriae potestatis vinculum, restituuntur aduentitia, ex iisque dos potest constitui, ut eo facilius sustinere possit matrimonii onera. J.R. enim, quia pater retinebat filiam nuptam in potestate, simul usumfructum aduentitiorum sibi vindicabat indeque vel hunc remittere, vel de suo eam dotare debebat C. 1. §. XV. Sed J.G. dissoluta potestate amittit pater usumfructum, habet aduentitia filia pleno jure ideoque honestam potest inuenire nubendi conditionem, & in partem venire onerum matrimonii. Quum igitur illa ratio, cui innititur paternum officium, cesset, etiam eorum ridemus miseram diligentiam, qui Germanorum scita ex Romanorum legibus, quas tamen juxta cum ignarissimis intelligunt, explicare consueuerunt & Glossatorum ineptiis delectantur mirifice. Nos enim flocci facimus doctorum auctoritatem, siquidem rationibus destituti antecedentium gregem sequuntur, & vera a falsis discernere nesciunt. Nam si euoluas pragmaticorum volumina ad unum omnes ad Latii decreta prouocant, & ex iis totam de filia locuplete dotanda decidendam esse quæstionem adfirmant. Verum enim vero quia iam C. 1. horum argumenta sub incudem vocauimus, actum non agimus; sed saltem id notamus, etiam eos, qui nobiscum faciunt, incongrue sæpe adplicare Romanorum leges ad patria instituta. Quod sicuti simul ex iis quæ C. 1. disseruimus facile intelligimus; ita operæ pretium videtur Carpzouium denuo vocare in partes, qui hoc modo respondisse JCtos Lipsienses *P. 11 c. 42. d. 13. testatur:* Ob ihr nun wohl anjetzo von euren Schwieger-Vater Mittgifft zu fodern gemeinet, die Eltern auch ihren Vermögen nach die Kinder welche vor sich selbsten nichts übrieges, noch von ihren

Restituenda esse aduentitia.

eigenthümlichen Gütern Mittgifft haben können, auszustatten schuldig sey. &c.

§. VII.

Sed uti filia dotata successione excluditur, etiam locuples dotanda.

Quamuis vero salua sit successio filiabus; tamen variarum prouinciarum statutis receptum, ut filia accepta dote a reliqua excludatur successione. MEVIVS *ad Jus Lubec. P.* 11. *Tit.* 2. *art.* 34. *n.* 6. COTHM. CONS. *99. n.* 103. *Vol.* 2. Ex quo itaque facile est ad intelligendum, etiam diuites filias esse dotandas a parentibus, siquidem illas ita elocare velint, ut successionis sint expertes. Eo ipso enim, quod ineunt matrimonia non amittunt jus succedendi, sed opus, ut eis certa portio dotis nomine detur, idque expresse Jure Lubecense cautum. Quæ omnia peculiari opera illustrauit MEVIVS, qui tamen sæpius J. R. commentis fuit deceptus & multa a patris moribus aliena admiscuit, quod jam ab aliis est animaduersum. Sed antequam nostris meditationibus colophonem imponimus, non in elegantem soluimus quæstionem: an hodie etiam, si pater nulla bonorum facta mentione, dixerit, se in dotem dare filiæ 1000. imperiales, in dubio sit existimandum, eum hanc summam de suis promisisse bonis? Et putem esse eam adfirmandam, quia promittit SE dotem daturum. Quam ob rem cautus sit pater, ut bona filiæ, de quibus eam dotare velit expressis verbis indicet BERGER *Resolut. Lauterb. p.* 538. *& Oecon. Jur. L.* 1. *Tit.* 3. *§.* 10. *not.* 3.

§. VIII.

Conclusio.

Plura inpræsentiarum non addimus. Tuum igitur B. L. æquum exspectamus judicium: si vero forte sint quibus contraria arrideat sententia, eos officiose rogamus, ut argumentis, quæ adduximus, satis faciant. Eorum enim clamores, qui ideo dissentiunt, ut etiam aliquid dixisse videantur, curamus scilicet,

TANTUM.

